

05

A

949





SYSTEMATIS THEOLOGICI PARTEM  
Primam Generalem,

DE RELIGIONE ET EJUS ARTICULIS  
Generatim consideratis.

DISPUTATIO I,  
De

RELIGIONE IN  
GENERE.

*Quam*

ALTISSIMO ADSPIRANTE

SUB


PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI  
S. S. Th. D. & Profefs. publ.

*Placidâ συζητησὶ ventilandam exhibet*

PETRUS KIRSTENIUS,  
Stet. Pom.

*Ad diem 20. Julij horis pomeridianis,  
in Auditorio minori.*



WITTEBERGÆ,

*Excusa Typis* JOHANNIS GORMANNI  
ANNO M D CXXV.



RELIGIONEN  
G...



05 A 949





# Præloquium.



*Recognitorum Theologicorum naturam, decē disputationibus ordine accurato hactenus delineatā, solidè ac sufficienter perlustravimus; Nunc lege jubemur methodi, ad ipsa Theologia adyta facere aditum.*

*Hec autem qui feliciter aggredi, felicissimèq; in illis progredi desiderat, omnem movebit lapidem, quò illorum qualicumq; ut probè delibutus accedat, ne fortè a doctoribus experiatur illud, quod olim tyro ille ignarus, qui Academiam Xenocratis Philosophi ingredi intendebat, cui is acclamabat, Abi. Et quemadmodum Sacerdos Aaron, pro populo Israelitico Sacrificaturus, non nisi amiculo, baltheo & tiara exornatus, Sanctum Sanctorum ingrediebatur; Simili modo, nemo sibi sacratissimum hoc Theologia Studium temerè aggredi presumat, nisi indumento horum præcognitorum, qualitercumq; politus accesserit. Constat autem ex Disputationibus non ita pridem ponderatis, Theologiam occupatam esse in informando futuri Theologi animo, quò homines lapsos per veram Religionē Spiritualiter sanare, & ad salutem aeternā perducere possit. Ubi auidimus Theologum audire Medicum sed spiritualem, cui incumbit, homines lapsos erigere, sauciatos obligare, in errorum tesquis circumvagantes, revocare & ad veritatis viam informare. Medium autem unicum quo hæc omnia quam optimè expedire Theologus potest, Religio est, quam rectè & solide cognovisse omnium maximè increscit,*



zereſt, ideoq; eam, ne ſolida tractationi aliqua acceſſe videatur, considerabimus & Generatim & Speciatiim. Qui duo diſtincti considerandi modi, duas etiam diſtinctas conſtituunt Theologiae Partes, Communem nimirum & Propriam. Communis iterum Commodè diſpeſcitur in duas ſubſectiones, quarum Prima, agit de Natura religionis; Secunda de Fidei articulis generatim consideratis. Pars propria unumquemlibet Articulū Fidei, accurata methodo delineatam ſeorſim ac diſtinctim, demonſtrabit. Nos praſentibus hac Diſſertatione, ut certo quæ aſi in Circulo maneamus, ſolummodo primam primæ partis ſectionem ventilandam aggrediemur, & cum primis dicemus 1. De Religionis Nomine. 2. De Quaſtione, An detur vera Religio. 3. De cauſis veræ Religionis. 4. De Definitione Religionis. 5. De Affectionibus Religionis. 6. De Religionis Effectibus. 7. De Notis veræ Religionis. 8. Deniq; & ultimo, De variis veram Religionem proponendi modis. Pra omnibus autem Deum Deorum, in & cum quo boſce noſtros labores expimus, adoramus ſupplices, ut bonum, quod haſtenuſ operatus eſt, operando in nobis velit clementer pertexere, ad glorioſiſſimi ſui Nominis gloriam & noſtrum omnium incrementum.

## THEOREMA I.

*Naturam Religionis, explanatam, aliqua ex parte exhibet, Nominis evolutio, quæ in Etymologia, Homonymia, & Synonymia conſiſtit.*

Haud infulſè Stoicæ ſectæ Philoſophus Epictetus, in rerum cognitionem modum perveniendi prævidens, dixit: δεξιὴ παιδείας, ἢ τῶν ὀνομάτων σκέψις, quod Ariſtoteles 1. poſter. analyt. cap. 3. ſic exprimit: Principium Scientiæ eſt terminos cognoscere. Certum ſanè eſt, vocum minutias qui benè perpendit & diſcutit, principium ſolidæ literaturæ eum haud deficere. Potiſſimum autem quatuor ſunt quæ de Etymologia circumferuntur ſententiæ;

Etymolog.

cens & inculcans, ea, quæ ad Dei cultum pertinent, sæpè animo repetenda, & quasi relegenda esse. Et hujus sententiæ assecla fuit & Cicero qui libr. 2. de Natura Deorum ita scribit: *Qui omnia quæ ad Deorum cultum pertinent, retractarent & relegerent hi omnes dicti sunt religiosi à relegendo &c.* quamvis hanc derivationem Lactantius refutet lib. 4. Instit. cap. 28. Et Isidorus lib. 10. Etymolog. c. 17. ait: *Religiosi dicti sunt ex relegendo, quemadmodum ex eligendo eligentes, ex diligendo diligentes, & ex intelligendo intelligentes.* Vel 2. à *Relinquendo*, ubi existimavit Masurius Sabinus, eò quod religiosi relictis secularibus & mundanis, Cœlestiâ quærere & amplecti debeant. Vel 3. à *Reeligendo*, quod per religionem reeligatur Deus qui per peccata antea erat rejectus & offensus. Ad hanc notationem respexit & Augustinus lib. 10. de civit. Dei cap. 4. ita inferens: *Deum eligentes, vel potius reeligentes (amiseramus enim negligentes) hunc ergo religentes, unde & religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo acquiescamus.* Vel 4. à *Religando*, quia nos Deo quasi adstringat & alliget. Atq; sic istud debitum & officium notat quo Deo obligamur, & per quod Deo quasi colligamur & unimur. Atq; hanc imprimis approbat Augustinus tom. 1. operum de vera Religion. cap. 55. Colom. 746. Edition. Basiliens. *Religet nos ait religio uni omnipotenti Deo.* Et hanc ultimam derivationem tanquam omnium optimam heic quoq; retinemus, quia tam nomini quam ipsi etiã rei maximè congrua est. Plura de his scire desiderans inspiciat Gregorium de Valent. tom. 4. colum. 1607. Boëtium tract. de Relig. p. 1. & 2.

*Etymologiam* excipit *Homonymia*, ubi Religionis vox accipitur sensu vel vero vel Falso. Vero usurpatur vel ab *Autoribus profanis* vel *Sacris*. Profani enim volunt voce ista denotari: 1. *Debitum aliquod officii*, vel justam muneris functionem, seu singularem sedulitatem & solertiam quæ in officii administratione animadverti debet, & appellari consuevit religio officii. Et in hac significatione, Cic. inquit lib. 4. ad Verrem; Ego quos populus Romanus mihi mandavit sic accepi ut me omnium officiorum religione obstringi arbitrarer. 2. *Anxiam aliquam curam*, Plin lib. 4. Epist. ad Tacitum ubi dicit Parentibus sit religio eligendi Præceptores

pulum aliquem Conscientia, sic dicimus, religioni habere, id est, conscientia & Deorum metu, à re aliqua perpetranda impediri. Cic. lib. 2. de divina. 4. *Animi integritatem & sinceritatem* ut Cic. pro Cæcinn. Splendor ordinis senatorii, decus atq; ornamentum iudiciorum, exemplar est antiquæ religionis, id est antiquæ integritatis. 5. *Metum*, ut Virg. 8. Æneid. jam tum Religio pavidos terrebat agrestos. *Sacri Autores* iterum sunt vel *Biblici* vel *Ecclesiastici*. *Biblici* accipiunt vocem Religionis, præsertim in versione vulgata. 1. *Pro quovis ritu sacro*, seu cæremonia sacra, quo sensu accipitur Exod. 12. v. 14. ubi Cæremoniæ agni paschalis dicuntur *Religio*: Hæc est religio phasæ. 2. *Pro jure vel mandato Dei obligante* Exod. 2. v. 26. Erit eis sacerdotium religione perpetua, id est, jure à me constituto. 3. *Pro toto cultu judaico*, ut Act. 26. v. 5. scitis, quod ego secundum exactissimam sectam τῆς ἡμετέρας θρησκείας nostræ religionis inter vos vixerim Pharisæus. 4. *Metonymicè pro effectu religionis propriè dictæ*, ut Jacob. 1. v. 2. Religio pura & immaculata est, apud Deum Patrem, invisere orphanos &c. 5. *Et ultimo pro habitu exteriori Angelorum* Coloss 2. vers. 18. *A Doctore Ecclesiæ* accipitur pro Cultu soli Deo debito, qui fit vel interiori cordis affectu & externis quibusdam cæremoniis in scriptura determinatis, vel pro interiori cordis tantum devotione absq; ullo ritu externo. *Sensu falso* usurpant Bellarminus & ejus hyperaspistæ dum per Religionem denotari volunt peculiarem statum, seu specialè quoddam genus hominum per paupertatis, continentia & obedientia vota ad perfectionem Christianam tendentium, Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 2. Sed hanc acceptionem tanquam absonam, autoritate & omni probabili ratione carentem, hoc loco repudiamus. Sequitur Synonymiâ

Synonym.  
Græc.

Synon Latin

Græca itaq; Synonyma, quibus Religio exprimi solet, sunt  
 1. θρησκεία cultus seu observantia Iacob. 1. vers. 27. 2. est εὐσέβεια pietas 1. Tim. 4. v. 7, 8. 3. Τιμὴ θεῶν honor Dei Johan. 5. vers. 23.  
 4. ἀλήθεια κατ' ἐξοχήν Johan. 17. vers 17. veritas, seu vera religio. 5. θεοπρέπεια cultus Deo conveniens Clemens Alexandr. lib. 7. Stromat. 6. θεοσέβεια reverentia Dei, Augustin. lib. 10. de Civitat.



tas 1. Timoth. 4, 9 2. Chrysoſtomus in oratione de libello repudii appellat eam *Philosophiam Altioſam*, nimirum ut Græcorum removeret supercilium, qui suæ Philoſophiæ nimium arrogabant. Hebræi dicitur עֲבָדָה vel עֲבָדָה a rad. עָבַד ſervivit, denotat enim ejuſmodi cultum, quo Deo ſervimus. Vid. Excellentiſ. Du. Præſes Philoſ. Sobr. part. 2. c. 1. q. 10 p. m. 94.

Synon. Hebr

## THEOREMA II.

*Religionem veram, tum quo ad existentiam, tum quoad An ſit vera  
eſſentiam dari, indubitata veritatis eſt, neq; quiſquam mor- Relig: 2  
taliū adeo abſurdus erit, qui contra propria Conſcientiæ &  
Communis experientia teſtimonium, ibit inſicias.*

De hoc Theoremate quædam delibanda commovit nos ſecuritas & ἀσέλγεια eorum, qui vel ore vel opere Verum Deum & ſic ſimul veram religionem eſſe diffitentur. Affirmativam autem theorematis eſſe veriſſimam, ut quilibet conſpicari poſſit περιωσως hæc ſubdimus fundamenta. 1. Petitum *Ex lege natura*, quæ eſt dictamen rectæ rationis, quæ dictat. Numen eſſe aliquod ὑπερανθρώπινον, & ὑπεραγγελικόν, quo totus terram orbis regitur & conſervatur, ex quo poſtmodum colligit, illud debita gratiarum actione eſſe colendum & venerandum. Hinc à primis mundi incunabulis nulla gens tam barbara fuit, quæ non religione aliqua Deum coluerit, licet qualis ille Deus ſit, arripere non potuerit hinc tot inter ipſas exorta ſunt idololatriæ, tot cultus electitii & fictitii, quibus teſtari voluerunt, eſſe verum aliquem conditorem univerſi, cui hæc omnia deberentur. 2. *Ex Concinnâ rerum creatarum ſerie*: Nam quod de Deo cognoſci poteſt manifeſtum eſt, ſiquidem quæ ſunt inviſibilia, ex creatione per opera cognoſcuntur, ipſaq; æterna Dei potentia ac divinitas, in hoc ut ſint inexcufabiles, propterea, quod cum Deum cognoverint, non ut Deum glorificaverunt Rom. 1 v. 19. ſeq. Quia itaq; Deum ut Dominum & conditorẽ rerum omniũ cognoverunt & non coluerunt;

COM-

conqueritur etiam de ipsorum ingratitude & inobedientia. Ier. l. v. 6. si Ego Dominus, ubi timor mei? Et sanè indignus est, qui locum habeat in terra, quisquis Dominum Coeli & terræ sibi colendum esse non putat. 3. *A Necessitate*, non quidem ex parte Dei, sed ex parte hominum. Si enim salus hominum, unicè à Deo dependet, utiq; ille etiam colendus erit ab ipsis in sermonis veritate & cordis sanctitate, ut gratia illius fiant participes, absq; qua ne ad momentum possent esse superstites. Propterea videmus etiam eos experiri Dei bonitatem & misericordiam queis religio cordi est; Illi autem qui eam alto supercilio despiciunt, experiri immisericordiam & justam iram. 4. *A Promissionum divinarum veritate*. Promisit enim Deus verbi sui perpetuam durationem Matth. 24, 35. Act. 1. 23. Matt. 16, 18. Promisit etiam verbi sui infallibilem efficaciam Esa 55. Ubi itaq; verbum Dei semper docetur & adhibetur, ibi etiam Deus secundum istud adoratur & colitur; Et ubi Deus secundum verbum revelatum colitur, ibi & vera est religio, quæ aliàs vera esse non possit, nisi ex verbi præscripto fuisset instituta.

### THEOREMA III.

*Causa Relig.*

*Religionis Causæ tot sunt, quot Theologia, Causa nimirum Efficiens, Materialis, Formalis, & Finalis.*

*Efficiens.*

*Efficientem* aliam hinc agnoscere non possumus, quàm illum ipsum à quo omne bonum largissimè promanat, Deum in secula benedictum, Patrem Filium, & Spiritum S. qui ex merâ misericordia & gratiâ gratuita, eam unicè & principaliter hominibus cœlitus communicavit. Non itaq; viribus ingenii humani excogitata vel inventa est, quippe quæ non percipiunt quæ sunt Dei, quæ nimirum voluntas ejus, & quid secundum suam voluntatem velit, quod unicè nobis in Scriptura revelatum ad quam scrutandam ideo etiam ablegamur Joh. 5. Manet ergo Deus *causa Efficiens Principalis Religionis*, quoniam primò & sua virtute illam revelat; manet *Absoluta*, quoniam sola suâ potentia absq; alia concurrente eam producit & communicat: manet deniq; *Totalis*, quia eam non tradidit nobis ex parte, sed ex toto quoad Essentiam & omnes proprietates. Huic causæ Principali jam  
sub-

Dei ministri, Prophetæ & Apostoli, qui eandem partim vivâ voce, partim expressâ scriptione hominibus commendarunt.

*Materia* hic datur non nisi analogica, quæ accidentium solet esse propria. Est autem vel Ex qua (quæ substantiarum altera solet esse compositarum pars) quam propriè non agnoscit, pro qua tamen suo modo habet totam sacram scripturam, ex quâ tanquam ex principio infallibili certas deducit conclusiones. *Materia circa quam* seu objectum est DEUS, in cuius cognitione & cultu tota occupata est. *Materia in qua*, seu subjectum, est vel 1. Inhæſionis, animus seu mens humana: vel 2. Perfectionis, quod à Religione perficitur, & sunt animi facultates, Intellectus nimir. & voluntas; ille enim ita perficitur, ut Deum perfectè cognoscat; Hæc ut eum rectè colat.

*Materia.*

*Formam* quoque habet analogicam, quæ ex analogia resultat materiæ. Est autem, vel *Accidentalis*, & extrinseca, quæ est methodica & apta certorum præceptorum comprehensio, quæ Deum verè cognoscendi & ritè colendi rationem præscribunt. Vel *Essentialis*, & *Intrinseca* per quam constituitur, & ab aliis Religionibus adulterinis & falsis distinguitur; Estque veri Dei cultus secundum modum in verbo divino præscriptum.

*Forma.*

*Finis* Religionis, uti totius Theologiæ, non est Theoreticus, in nuda solummodo contemplatione acquiescens, sed Practicus nempe actionem respiciens. Finis autem hic est vel *Primarius*, qui in omnibus nostris actionibus spectari debet, nimir. gloria Dei. vel *Subordinatus* & Internus, qui est hominum à Deo lapsorum restitutio, unio & reconciliatio i. Joh. i. v. 3. vel *Externus* & *ultimus*, qui est beatissima Dei fruitio & vitæ cælestis æterna possessio. i. Pet. i. v. 9.

*Finis.*

#### THEOREMA IV.

*Definitio*

*Religio vera est doctrina, hominibus ex verbo revelato Spiritus Sancti operatione communicata, qua religiosi & piij effecti Deum verum rectè agnoscunt, venerantur & colunt, tandemq; æterna felicitate fruuntur.*

*Religion.*

Causas ad Religionis naturam constituendam concurrentes antea conspeximus, nunc methodo ita exigente, ad ipsam De-

B

finitiq-

definitionem facimus accellum, quæ secundum nostrum tractandi  
modum systematicum graphicè exprimit, quale Religionis Ge-  
nus sit constituendum. Non ineptè igitur & prorsus ἀνεσθητό-  
ως asserimus, Religionem esse Doctrinam, & quidem divinam  
tum ratione. Efficientis Principalis, quæ est Deus Triunus, qui  
unice coli vult, ideoque etiam unicè cultus sui modum docet, &  
in verbo suo revelato, hominibus communicat, 2. Ratione causæ  
*Instrumentalis animatæ*, quæ sunt omnes Viri sancti Prophetæ &  
Apostoli. 3. Ratione *Instrumentalis inanimatæ*, qualis est verbum  
Dei scriptum seu ipsa S. Scriptura. 4. Ratione *Subiecti* quod est ho-  
mo renatus, & qui per Spiritum S. in baptismo regeneratur. 5.  
deniq; & ultimò ratione *causæ Finalis*, quæ est Spiritualis Dei &  
hominum unio, Spiritualis & æterni gaudij æterna fruitio. Pa-  
tescit hinc contra sententiam erroneam sententia, cum primis Bel-  
larmini, qui maximo veritatis dispendio Religionem ita descri-  
bit; Quod sit *Status Monachalis, per Paupertatis Continentiæ & Obedi-*  
*entia vota, ad perfectionem Christianam tendens*, ut supra quoq; The-  
orem. i. monuimus. Patescit quoque discrimen *Vera & Falsa* Reli-  
gionis. *Vera Religio* pro objecto agnoscit verum Deum, & ob-  
servat quoque verum cultus modum a Vero & æterno DEO præ-  
scriptum. *Falsa* autem *Religio* est, cum vel i. Pro Deo Creatore,  
Creatura eligitur, cui cultus religiosus & honor divinus offer-  
tur, quod fecerunt omnes Ethnici, absque Christo extra Ecclesi-  
am viventes, præsertim de Lithuanis legimus, quod Serpentes  
tanquam suos Deos domesticos coluerint, quilibet enim pater-  
familias in angulo suæ domus peculiari, propriam habebat Ser-  
pentem, cui in fœno jacenti dapibilem porrexit cibum, & certa  
quoq; immolavit sacrificia Æneas Sylv refert. de Europ. cap. 26.  
Quidam non solum infinitos fermè coluerunt Deos, (quos con-  
ciliavit eis, unaquæque virtus & efficacia creaturarum, inter  
quas præcipuè fuerunt, allium, Cæpæ &c. quarum tamen cultor-  
es, proprius ipsorum Poeta cachinnis excipit his verbis: Felices  
populi, quibus hæc nascuntur in hortis, Numina) sed peculi-  
ares Dominos seu opitulatores habebant, quos Deus tutelares  
& ægrotorum patronos appellitarunt: In peste enim colebant  
Angeroniam, ut quæ propitiata, angores & animorum sollicitu-  
dines

lo, alium frugibus agri tutandis, alium maris fluctibus fringen-  
gendis, alium ventorum tumultibus sedandis &c. vid. Macro-  
lib. 1. Saturnal. cap. 10. & Polyd. Virg lib. 4. de rerum invent. *Falsa*  
2. *Religio est*, cum Deus verus quidem colitur, sed non secundum  
modum in Scriptura demonstratum, cum nimirum homines De-  
um verum colendum non immediatè accedunt, sed adhuc in-  
tercessores & mediatores quærant, quorū ministerio preces tan-  
dem ad Deum deferantur; Tales jam sunt Pontifici, qui Sanctos  
demortuos invocant & apud Deum interpellatores suos constitu-  
unt, qui tamen plane ignorant nos. Nec quidquam amplius senti-  
unt Esa. 63., 15. Ecclesiast. 9. v. 5, 6. Vel 3. *Falsa Religio est* cum in  
& per idolum aliquod, verus Deus colitur, quod fecerunt Aa-  
ron & populus Israel, qui ad vitulum aureum Deum Israelis re-  
ligiosè venerati sunt. Exo 32. v. 4. 5. seq.

### THEOREMA V.

*Religionis affectiones sunt; quod sit, Una, Perfecta &  
Divina, Sancta, Necessaria, Utilissima, Antiquissima, Firma,  
& semper durans, Spontanea, Catholica, Persecutioni, Refor-  
mationi, & Deformationi obnoxia.*

Cognovimus hætenus Religionem à priori scil. in suis cau-  
sis, nunc perpendemus eandem à posteriori in suis nimirum affe-  
ctionibus, quæ non parum quoque ad ejus pleniorē perceptio-  
nem faciunt.

Affectiones autem quibus imprimis afficitur, præcipuas pau-  
cis recensēbimus. Est igitur. 1. **UNA**, quia, Unus solummodo  
est Deus, cui soli religione verâ & unâ homines sunt obstricti; U-  
nicus tantū est mediator inter Deum & homines, Homo Jesus  
Christus: Unicū est corpus doctrinæ veram religionem docens;  
unicus est spiritus homines illuminans; unica est meta omniū a-  
ctionū nostrarum, æterna nimir. beatitudo; unica tantū est via ad  
metam istam perveniendi, fides nempe in Christum Eph. 4. v. 5. seq.  
2. **PERFECTA**, quia nihil ei omnino deest, neq; quicquam ei ad-  
dendū vel detrahendum est, sed uti nunc ita etiam ab initio sem-  
per ad scopū fuit idonea & sufficiens Est certè perfectio hæc Reli-  
gion. verè mirabilis; Nā in qua perfectione hæc. duravit, in eact-  
iā orta est quod aliis effectis & operib. humanis cōtingere nō solet:

1. *Affect.*

1. *Tim 2, 5.*

2. *Affect.*

2. *Affect.*

B 2

quæ

qua non statim sed paulatim, non statim sed paulatim, sed  
plementum assequuntur. Produci videmus operahum an a, sed  
admodum rudia, scabra & imperfecta, quæ longo demum tempo-  
ris intervallo, poliuntur, perficiuntur, & ad quandam integrita-  
tem evehuntur.

3. *Affect.*

3. DIVINA, tum ratione *Ortus*, quia est solo & vero Deo imme-  
diatam suam habet dependentiam, quippe qui solus suam volun-  
tatem patefacere, cultusque sui normam præscribere potest; tum  
ratione *objecti*, qui iterum ipse Deus, prout vere debet cogno-  
sci & rectè coli; tum ratione *Formæ*, quæ est congruentia cul-  
tus cum Dei voluntate in scripturis patèfacta; tum deniq; ratio-  
ne *Finis*, qui est vel *primarius* & principalis; Gloria nempe divina,  
vel *Secundarius*, qui iterum vel est, *Subordinatus*, hominis cum natura  
divina per cultum unio, divina consolatio in adversitatibus, pa-  
tientia in cruce, perseverantia & constantia in ipsa morte, vel *Ull-  
timus*, qui est divini & cœlestis gaudii possessio.

4. *Affect.*

4. SANCTA. Sanctus, Sanctus, Sanctus enim est Deus Zeba-  
oth, Esa. 6. & opera ejus sancta. Sancta itaque est ob Deum auto-  
rem; Sancta est ob res quas complectitur & tractat; Sancta est  
ob homines in quibus reperitur, Sanctis 2. Pet. I. v. 20, 21.

5. *Affect.*

5. NECESSARIA, & quidem dupliciter, 1. *Communiter*, pro-  
ut cujuslibet hominis in genere salutem concernit, & sic necessaria  
est omnibus qui in hac & futura vita beatè vivere discipiunt 1. *Ti-  
moth. 4, 9.* 2. *Specialiter*, pro ut in societate consideratur humana,  
tunc necessaria est tam Magistratui quam Subditis, tam Ecclesia-  
stico, Politico & statui Oeconomico, si enim Religio ibi exulat,  
nullus horum diu durat. Si Religio exulat, exulant etiam omnes  
virtutes, Justitia, Castitas, Temperantia &c. inter quas illa tan-  
quam Regina emicat & dominatur, & succedunt omnis gene-  
ris vitia in ejus locum pessima, nempe, fraus, licentia perniciofa,  
injustitia, crudelitas, protervitas. Summatim si Religio tollere-  
tur, omnium rerum, actionum & personarum fieret deterrima  
confusio, qualis fuit inter eos de quibus Paulus *Rom. 1. à v. 24.* usq;  
ad finem. Probant id etiam passim exempla quam plurima. 1. An-  
tediluvianorum. 2. Sodomitarum. 3. Regni Ægyptiaci sub Pha-  
raone persecutore &c. qui Religionis amissione panolethriam  
passi sunt, Hinc ob ejusmodi effectus salutare, insignes Religio  
forti-

sti. Insignitur, quod Subditos faciat meliores; quod agmen tra-  
hat virtutum; Quod metum servili longe meliorem ingeneret,  
qui prohibeat à maleficiis; Quod sit vinculum adamantinum,  
quo devinciuntur corda Magistratus & Subditorum.

6. UTILISSIMA, iisdem fermè fundamentis, quibus di-  
citur Necessaria, reddit enim homines felices & beatos, dum  
variis & elegantissimis virtutibus eos exornat. Vera enim Re-  
ligio ubi est ibi sequuntur etiam cæteræ virtutes omnes, quæ eam  
Reginam ac Dominam tanquam pedissequæ concomitantur, ita  
ut ille qui verè religiosus, verè etiam virtuosus appellari possit.  
Insignem & maximam ejus utilitatem paucis ipse Paulus confir-  
mat 1. Timoth. 4. v. 9. & ob hanc, eam vult omnibus hominibus  
commendatissimam; Pietas ad omnia utilis est, inquit & habet  
promissionem hujus & vitæ futuræ.

6. Affectus

7. ANTIQUISSIMA, quippe, quæ statim nata est in pa-  
radiso & per sanctos Patriarchas continuata, à Mose, Prophetis  
& Apostolis literis consignata, 2. Pet. 1. & aliorum sincerioris  
doctrinæ Doctorum ministerio & cura fidei ad præsens hoc secu-  
lum per Dei gratiam propagata.

7. Affectus

8. FIRMA ET SEMPER DURANS. Quamvis enim  
Vera Religio in mundo à plurimis oppugnetur, nunquam tamen  
expugnatur. In cujus enim corde vera veras egit radices Reli-  
gio, ibi haud facilè exterminatur, sive eum quis aggrediatur si-  
nistrè sive dextrè, sive dolore sive honore, sive laude sive frau-  
de, movebitur nunquam, sed muro stat firmior aheneo, nullos  
curat cruciatus, carceres, nulla exilia, nullas ereptiones, persecu-  
tiones, aquæ & ignis interdictiones &c. Divinam enim Reli-  
gionem qui in animo suo habitantem habet, Deum habet, omnia  
vincit, fretus illius virtute, qui omnia potest; Et etiamsi ad latus  
adstet Carnifex; etiamsi tortor ferrum & flammam admove-  
at: Etiamsi licitor faces & fasces obijciat, perseverat tamen vir  
religiosus, nec quid passurus, sed quid acturus cogitat. Testan-  
tur hoc abunde satis exempla martyrum. Hinc manebit tritum  
illud verissimum:

8. Affectus

*Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine crevit,  
Sanguine succrevit, sanguine finis erit.*

B. 3

6. SPON-

9. SPONTANEA, quia non imperatur ab hominibus, sed a Deo adhibitis mediis ordinariis infunditur, ut institutione seriâ, precatione item & similibus, puta confessione intrepidâ coram quibusvis, & sanguinis effusione ad ejus obfignationem. Unde elegans illud: Religio cogi non vult doceri expetit: item Religio immanitate non stabilitur, sed evertitur. Proinde armis corporalibus non est introducenda, aut propaganda, nec conjurationibus adversus magistratum, non sceleratâ Regum interfectione, & violentâ aliorum oppressione. Armis tamen defendi ac custodiri potest, adversus vim publicam, quia Deus Magistratum politicum armavit gladio, ut sit Custos utriusq; tabule. Hostes igitur religionis veræ, tum Interni tum externi, qui cupiunt illam extirpare contra legem Dei, naturæ, & omnis politiæ legitimæ, coercendi sunt, sive illam publicis armis oppugnatû veniant, sive dolis Clandestinisq; conspirationibus exitium ipsi meditentur & moliantur. Hunc spontaneum introducendi modum Religionem veram, observavit etiam Josua qui non coegit Israelitas ut veram Religionem amplecterentur sed ipsorum libertati reliquit, an Jehovæ vel Deastris gentilium servire voluerint. Josu. c. 24, 15 & aliis in locis plurimis.

10. Affect.

10. CATHOLICA, seu Universalis dicitur, quia per omnes gentes ab Apostolis primûm fuit diffusa, & nullus plane fuit mundi angelus in quo non ministerio & studio ipsorum Apostolorum propalata omnibusq; qui eos docentes audierunt notificata Rom. 10. v. 19. neq; ullibi inter gentes frustra fuit annunciata, quin aliqui eam receperint, juxta promissionem Es. 55. v. 10.

11. Affect.

11. PERSECUTIONI obnoxia. Hæc enim solet esse indoles perversissima mundi, ut quos veritatis assertores & orthodoxæ fidei propugnatores, verbo, rationum pondere, & argumentorum robore, superare nequit, ferro, violentiâ, & omnis generis malorum immissione suppressere tentet. Probant quoq; hanc tot myriades exemplorum, ipsius Christi ἀρχιπαιδῶν Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum sub Tyrannis, Nerone, Trajano, Mexentio, & Juliano. Cum primis vero conqueritur de hac D. Paulus 1. Corinth. 4. v. 11. Ad hoc usq; tempus esurimus & sitimus, nudi sumus & Colaphis cædimur incertisque vaga-



vagamur rebus, male audientibus  
patientes sustinemus, Convitiis affecti, obsecramus, *ἐκκαλεσθη-*  
*μεθα* & *ἐψήματα* facti sumus omnibus.

12. DEFORMATIONEM patitur, quod fit, vel Ad- 12. *Affect.*  
ditione vel Detractione. Additione deformatur Religio cum  
supra id quod Deus præcepit, aliquid adhuc additur. Detractione  
deformatur Religio, cum id quod DEUS in verbo præscrip-  
sit omittitur, negligitur & respuitur. Ideoq; hanc deforma-  
tionem præcavendam mandat Deus, nec quidquam addere vel  
detrahere Deut. 4, 2. Proverb. 30, 6. Hujus deformationis ex-  
empla suppeditant historiæ tum V. tum Nov. Testamenti. Ex-  
inde pullulavit etiam illud *πολυθρύλλητον*: Wo GOTT der  
HERR ein Kirch bawet / da bawet der Teuffel ein Kapell dar-  
neben.

13. Et Ultimo REFORMATIONI subjecta, quæ errores 13. *Affect.*  
eradicantur, cultus fictitius abrogatur, & verus cultus postlimi-  
niò quasi restituitur, ita ut more majorum, id est, Prophetarum  
& Apostolorum doceatur & vivatur. Sic Moses, Josua, David,  
Aza, Josaphat, aliq; Pii in populo Judaico Reges, Religionem  
veram, à variis corruptelis idololatricis, semper repurgarunt.  
Idem fecerunt etiã Constantinus Magnus, Carolus Magnus, Theo-  
dosius pientissimi Imperatores, qui eam non absq; exiguis sum-  
tibus ac laboribus Satanæ fraudibus conspurcatam, sanam ac  
integram produxere.

## THEOREMA VI.

*Effectus Religionis, sunt partim Generales, qui con-* 13. *Effect. Relig.*  
*cernunt totam Ecclesiam & omnes in ea status; Partim et-*  
*iam singulares, qui redundant, ad quosvis Christianos in*  
*Specie.*

Fertilissimus ager ad sui culturam, fructuum ubertate, fa-  
cile cultorem allicit; cur non & Religio effectuum suorum pul-  
chritudine, ad sui studium unumquemvis commovere deberet?

Sunt:

Sunt autem effectus in huiusmodi adiuvantibus vel contrariis, qui se ad totam Ecclesiam & omnes status extendunt, suntque, ut tam Magistratus quam subditi suum faciant officium, quò unusquisq; suæ vocationis munia pacatè & securè expedire possit. Nulla enim res magis animos & mores componit quam Religio. Et ubi Religio exulat, omnis ibi quoq; felicitas cessat; cessat ibi tranquillitas Chori, Fori & Tori, cessat pax interna, cessat externa; cessat omne bonum & redit omne malum. *Singulares effectus*, qui ad quemlibet Christianum in specie redundant, sunt pro varietate defectuū varii. Tollit enim intellectus de vero Deo ignorantiam per illuminationem & rectam ex verbo præscripto informationem. Tollit voluntatis malitiam per internam sanctificationem; Tollit omnium cæterorum membrorum & affectuum *δυσνομίαν* & rebellionem per unisonam inter sese rectitudinem.

## THEOREMA VII.

*1. Nota.*

*Nota vera Religionis, quibus à falsa facillimè dignosci potest, sunt: Ducere homines à Creaturis ad Creatorem: Docere verum Dei cultum in verbo revelatum: Suppeditare modum justitiæ Dei læsæ, medendi: Habere singularem efficaciam in convertendis hominibus: Solari conscientiam: Ducere ad pietatem veram.*

Quantum horrendo Protoplastorum nostrorum & miserabili lapsu à Deo Creatore nostro simus delapsi, non sine magno nostro malo omnes sumus experti. Ne autem perpetuò perpetuis cruciatibus & afflictionibus plecteremur, summè necessarium erat aliquod medium, quo tanquam fugitivi Deo iterum conciliaremur, ab eo separati, iterum conjungeremur. Et ut in mediis huius nobilissimi electione non quis cæspitet & aberret, certæ circa illud sunt observandæ notæ, quæ nos deducunt in ejus cognitionem infallibilem, quarum.

*Nota Relig.* I. EST, DUCERE HOMINES à CREATURIS AD CREATOREM. Quælibet creatura etiam minima suum repræsentat opificem. Quod homo sese, & alias omnes res conditas

tas

tas impieudo, recum tum ponderat, Deum tuum etiam crea-  
torem & genitorem esse colligit. Ex lege autem naturæ certus  
omninò est, Genitori & Productori suo deberi cultum & reve-  
rentiam. Manet itaque extra omnem dubitationis aleam ve-  
rissimum: Quæcunque Religio ducit à creaturis ad creatorem:  
Illa est verissima. Et e contra, Quæcunque Religio nos abducit  
à creatore ad creaturas, nempe, lignum lapides, Solem, Lunam,  
Homines &c, illa falsa est & idolatrica; Talis jam est Gentili-  
um Religio, qui cultum suum, non ad verum Deum cœli &  
terræ Creatorem, renum & cordium scrutatorem, sed ad quas-  
vis bestias etiam venenatas dirigunt, ut Theorem. IV. fuit demon-  
stratum. Non immeritò igitur ob insignem hunc usum quem vera  
Religio præstat, insignes hos sortitur titulos, quod sit *Via illa Re-  
gia*, quæ homines errantes & à Deo aversos, ad Regem Regum,  
& Dominum Dominantium deducit; Quod sit *aurea illa catena*,  
qua homines à Deo soluti & segregati iterum colligantur &  
uniuntur.

2. EST, DOCERE VERUM DEI CULTUM IN VER-  
BO REVELATUM. Hæc Nota videtur pullulare ex priori, quæ  
occupata erat in Creatoris & Creaturæ, Dei & Hominum unio-  
ne. Hæc verò Unio nihil aliud est quàm verus Dei cultus, qui  
non ex humani ingenii inventione, sed ex Dei opificis revelatio-  
ne suum habet ortum, quippe qui ex infinitæ suæ sapientiæ abyf-  
so unice suum erga homines affectum & voluntatem in verbo  
suo revelat. Cum itaque homo videt suarum non esse virium,  
noscere Verum Dei cultum, sed à longè eminentiori, id depende-  
re principio, colligit; Illam solummodo veram esse Religio-  
nem, quæ colit Deum juxta verbum præscriptum, & supernè reve-  
latum, & non secundum inventa & commenta humana falsa &  
verbo Dei contraria. Et hanc imperitiam suam de Vero cultu  
palàm confiteri, non veritus fuit Plato Philosophus aliàs ocula-  
tissimus, dum inquit: Nihil divini, nostra scientia assequimur.  
Ideoque etiam in iis rebus quæ ad Religionem, pertinuisse vide-  
bantur homines ablegavit ad oracula.

2. Nota.

Plato in E-  
pist. 2. &  
in Parmen.

Q

3. EST

STITIÆ MEDENDI. Omnes mortales possunt quidem Sauciare, sed paucissimi queunt medicari; Possimus omnes vulnus infligere, sed non omnes membra in integrum restituere. Sic omnes quidem homines per malitiosam à Deo aversionem, justitiam divinam læserunt, sed rarissimi sunt, imò nullus in totius orbis latifundio repertus vel reperiri potuit, qui sua vafritia læsæ divinæ justitiæ medicamen aliquod reperire & præscribere valisset. Quando enim homo Deum venerari incipit, tunc statim conscientia dicitur, istum suum cultum ei placere non posse, nisi prius ipsius justitiæ satisfactum, & ille cum ipso fuerit placatus. Hic omnes hæserunt Philosophi gentiles, qui nec in natura nec ex natura medium aliquod indagare potuerunt, quo læsæ divinæ justitiæ satisfaceret. Modo enim abstinentia: modo purgamentis & lavacris, modò serio, & indefesso virtutum exercitio Deum placare, enixi sunt; sed quam anxie laborarint; incassum, tamè laborarunt, & nihil expedierunt. Manebit ergo verissima illa Religio, quæ suppeditat rationem, quæ Deus placari & justitiæ ejus læsæ satisfieri possit. Has prædictas tres notas summam ita comprehendimus: Ea Religio est vera: Quæ Deum habet pro Scopo; Quæ Verbum Dei pro cultus divini lege; Et quæ suppeditat viam & rationem Deum cum hominibus reconciliandi.

4. Nota.

4. EST, SINGULAREM HABERE EFFICACIAM, IN HOMINIBUS CONVERTENDIS. Hanc Religionis efficaciam ex parte audivimus, dum eam exeruit in Creatore & creaturis uniendis. Exeruit & exseruit eandem suam vim omni tempore, quando nimirum homines è regno Satanæ deducit in regnum Dei, è captivitate & servitute in libertatem, è tenebris ad lucem; quando homines animales convertit in spirituales &c. Et hanc suam efficaciam habet à potentissimo Deo qui verbo suo addit robur, & non sinit prædicari frustra, Psal. 68, 34. Esai. 55, 10. Probant exempla Apostolorum Petri & aliorum. Actor. 2, ver. 41.

5. EST.

TIAM in adversitatibus. Nemo mortalium non confitebitur, sese heic non in roseto, sed lasareto, non in domo latitiæ, sed tristitiæ & valle miseriarum vivere, ubi magno solatio & refrigerio indigemus; Hoc autem solatium omnibus largitur solus solatii Deus per veram Religionem, quæ nos erigit, roborat & firmat, ut quosvis novercantis fortunæ ictus intrepido animo excipere, & futuræ vitæ æternæ gloriæ eos impares reputare possimus. Rom. 15, 17.

6. EST, VERAM INTRODUCERE PIETATEM. 6. Nota.  
Animus humanus cum duobus potissimum colluctatur malis. Unum est Securitas; Alterum Pusillanimitas: illud ortum suum trahit ex rebus secundis: Hoc ex adversis. Quæ itaque Religio infallibiliter vera haberi vult, hisce malis debet invenire medium aliquod aptum, ne homines vel nimis securi, vel pusilli sint animi, sed beatè ut teneant medium, ne vel in excessu vel in defectu à Deo conditore suo deficient. Et hæc est nota satis etiam firma, quæ vera religio à falsa dignosci & separari potest. Quæ itaque Religio homines non in medieta- Jerem. 17, 9te conseruat, sed eos vel ad Securitatis vel Desperationis scopulos allidit, adulterina & falsa haberi debet. Talis autem est Calvinianorum & Pontificiorum Religio: Illi enim absoluto suo & impio decreto securitatem; Hi per doctrinam de perpetua hæsitatione & dubitatione desperationem introdu-  
cunt.

C 2 THEO-

*Modus proponendi veram religionem, non semper fuit unus & idem: Alio enim modo fuit proposita, Ante Legem; alio Sub Lege; alio deniq; Post Legem.*

*Ante Legē.* Unus & verus est Deus, una & vera etiam est Religio, secundum quam unus ille & verus Deus, unicè etiam vult honorari & coli. Hanc tamen unam & veram Religionem propter salutem hominum, non uno & eodem modo, sed diversis temporibus diverso, ipsi proponi ac revelari fuit complacitum.

*Ante Legē.* ANTE LEGEM, seu sub Lege gratiæ, & tempore potestatis Patriarchalis, Vera religio Patriarchis vel vigilantibus vel somniantibus immediatè à Deo fuit communicata, qui post modum fuerunt vivacissimi, ut in decimam & vigesimam fermè generationem inter nepotes & pronepotes illam ipsam viva voce docere & propagare potuerint. Nec ab omni veritate aliena est quorundam Theologorum sententia, qui arbitrantur Patriarchas sapiusculè cum tota sua domo, incerto quodam à Jehova destinato loco convenisse, ibidemque conciones quasdam eximias, de Benedicto semine mulieris, de creatione rerum omnium mirabili &c. habuisse, tandem etiam concione absolutà DEO obtulerunt sacrificia, quæ igni dein cœlitus delapso fuerunt accensa & concremata, ut conspici potuerint, cultum ipsorum DEUM approbasse. / Et ad hoc docendi munus communiter præficiebantur Primogeniti, qui erant quasi Sacerdotes & concionatores domestici, pro quo officio postmodum illis in distributione hæreditatis paternæ, dupla cedebat portio. Deut. 21. vers. 17. Doct Frantz. Disput. de Sacrific. 5. & 7.

*Sub Lege.* SUB LEGE seu tempore Veteris Testamenti, Religio vera proposita fuit 1. Expressa *scriptione*, quando Deus vel ipse-  
met

totum decalogum duabus tabulis lapideis digitis suis, insculpsit. Exod. 31. v. 18. & cap. 32, 16. Alii quos scribere iussit, fuerunt, Moses Deut. 31. v. 19. seqq. Josua cap. 24, 26. Jerem. 30, 2. cap. 36, 2. & c. 2. *Visionibus*, 3. *Somniis* Num. 12, 6. 4. *Expressâ manifestatione*, cum Deus coram servis suis Mose & Prophetis locutus est ibid. 5. *Per Urim & Thumim*. Hi tres posteriores modi omnes junctim leguntur 1. Sam. 28. v. 6. ubi dicitur, quod Deus Sauli, non amplius responderit, neq; per somnia, neq; per visiones, neq; per Prophetas, neq; per Urim & Thumim.

Num 13, 6, 7

Post. Leg.

POST LEGEM, sub Lege gratiæ seu tempore Nov. Testament. non fuit itidem unus itemq; modus veram Religionem propalandi, sed, pro diversitate Circumstantiarum variat. Nam in primordio Novi Testament. Religio vera partim *vivâ voce* à Christo & Apostolis fuit proposita; Partim etiam *literarum monumentis Consignata* & Ecclesiæ Christianæ commendata, ut Pauli Petri & aliorum sanctorum virorum scripta luculenter demonstrant. Postquam jam fidei cura & operâ Apostolorum Ecclesia Novi Testam. plantata, instaurata & non parum etiam ampliata esset, successerunt alii Doctores, qui eandem ipsam Religionem Apostolorum, pro diversa temporis, personarum & materiæ circumstantiâ tribus distinctis modis docuerunt & proposuerunt: *Primus*, dicitur, *Catecheticus*, quando nimirum lac Religionis seu prima rudimenta & fundamenta Christianæ, pueris, laicis & aliis rudioribus viva voce proponuntur & ab iis iterum exiguntur. *Secundus* est *Topicus* seu *Scholasticus*, quando certis locis communibus religio comprehenditur, & unumquodq; Religionis Christianæ caput accuratâ methodo ad certam & propriam suam sedem reducitur, donec tandem plenum aliquod Systema corporis theologicæ inde emergat. Et hic mos proponendi veram Religionem communiter in Academiis & Scholis observari consuevit. *Tertius* est *Exegeticus* quando textus aliquis biblicus in suggestu vel Cathedra distinctè explicatur, & ex eo doctrinæ fidei & morum eruuntur; & auditoribus inculcantur. In his

Modus Catechetic.


Heb. 5, 13.

Topicus?

Exegeticus.

in signem navarunt operam insignis nominis Theologi, ut Lu-  
therus, Philippus, Chemnitius Bugenhagenus, Morlinus, Bren-  
tius, Hunnius, Gesnerus, &c. qui eam partim Catechetice, par-  
tim Topicè, partim deniq; etiam Exegeticè studio in defes-  
so proposuerunt & propagarunt. Nunc manum  
de tabula.

בבלי.



Σφάλματα notab. benevolus Lector ita corriget.

*In praeloq. fac. 2. lin. 5. pro Subjectiones lege Sectiones. ibid. lin. 13. pro  
vara lege vera. theor. 1. Schol. lin. 2. pro praevidam lege praevidens.  
theor. 2. Schol. lin. pro terram lege terrarum. theor. 3. pro quod lege  
quot.*



DE



AD PRÆSTANTISSI-  
MUM DN. RESPONDEN-  
TEM.

וְכִים הָאֱלֹהִים אִמְרִיךָ  
מַחְכִּימִים אֱלֹהִים אִמְרִיךָ :  
הִזְרִי כִי בָּם לַמְדַתְנוּ  
בְּמַה חֶפֶץ אֱלֹהֵינוּ :  
בְּיִרְאַת קוֹדֶשׁ וְכִבְדַּת יְהוָה  
בְּשִׁמּוֹר הַתּוֹרָתוֹ וְכִבְדַּת יְהוָה :  
לְכֵן אֲשִׁיר מִפְעֻלֶיךָ  
וּמִבְרַח אֲרָבָה שְׂכָלְךָ :



*Jacobus Mollerus*  
*Stet. Pomer.*



A B P R A E T A N T I S S E L  
I G N I D M R E S P O N D E N

T E M

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Jacobus & Collesius  
Zit. P. 1000

1000



05 A 949

ULB Halle 3  
003 761 517




1077

621







SYSTEMATIS THOLOGICI PARTEM

Primam Generalem

DE RELIGIONE ET EJUS ARTICULIS

Generatim consideratis.

DISPUTATIO I.

De

# RELIGIONE IN GENERE.

*Quam*

ALTISSIMO ADSPIRANTE

*Sub*

PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Th. D. & Profefs. publ.


*Placidâ cognitioni ventilandam exhibet*

PETRUS KIRSTENIUS,

Stet. Pom.

*Ad diem 20. Julij horis pomeridianis,*

*in Auditorio minori.*



WITTEBERGÆ,

*Excusa Typis* JOHANNIS GORMANNI

ANNO M D CXXV.